

innati sui sulphuris, aut quam primum, vel, respectu peregrini, minusque idonei sulphuris aliorum metallorum, longitudine temporis, assidua coctione à se separata, in aurum commutetur, quod nam metallorum finis, & perfecta naturæ est intentio: eapropter fateri & dicere quoquen nos necessum habemus, quod natura etiam hoc in genere, iuxta subiecti puritatem & subtilitatem, non secus, ac in Vegetabilibus, & animalibus Regnis, emendationem & perfectionem in propria sua natura ipsa, quaerere & habere adtentet.

Et hoc sane, per dilecte rerum naturalium indagator, aliquanto neruosius innuere volui, vt eò certius intelligere queas, vnde nimirum magni nostri lapidis Materiam sumere tibi liceat. Si enim istum nostrum lapidem ex Animali Materia conficere conareris: tunc obstat tibi, quod duo ista in diuersa duo genera pertineant: Lapis namque mineralis, materia vero animalis est. Ex nulla re alia insuper, veluti Richardus cap. I. ait, aliquid extrahi potest, in qua tamen nihil est. Cum itaque quælibet species in sua specie, & genus quodlibet in suo genere, quælibet etiam natura sua in natura, naturalem virtutis suæ operationem quaerat, & iuxta naturæ suæ proprietatem, fructum proferat, & in nulla alia, sibi aduersante, natura, quatenus quodlibet, suo cum semine conuenit. Et Basilius Valentinus: Collige, inquit, & intellige, amice mi, quod ad hæc tibi nullam animam animalem quaerere & eligere debeas. Caro, & sanguis tuus, quemadmodum illa à Creatore animalibus concessa, & tradita sunt, ita etiam ad animalia pertinet, à quibus Deus illa coniunctim ædificauit, ita ut animal exinde factum fuerit.

De